HOMILIARIUM

Salzburg/Oberösterreich (?), Ende 12. Jh. Seite 71r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

filios et filias et omnique substantia privatus . in sterquilinio sederet . testa sa-
niem radens . qui quondam fuerat potentissimus rex . et quoniam omnia adversa
pacientissime sustinuit . per quam meruit sanitatem recipere . et du-
plicata omnia que amiserat . et insuper futura premia promeruit . De-
bemus ex hoc magnam consolationem recipere ; et si forte aliquando talia nobis
euenerint . debemus ista ad memoriam reducere . et pacientie eius
imitatores existere . dicentes cum illo . Sicut domino placuit ita factum est .
sit nomen domini benedictum . Talia et his similia sedulo animo re-
uoluentes . debemus spem firmam tenere . expectantes gaudia futurorum
bonorum . Deus autem pacientie et solatii det uobis idipsum sapere in alter-
utrum secundum christum ihesum . More patriarcharum dat in benedictione apostolus corin-
thiis . Ubi gratia . Sicut ysaac benedixit filiis suis . esau et iacob . duodecim
patriarchis . et moyses duodecim tribubus filiorum israhel . Sic autem deus iu-
sticie eo quod ipse iusticiam tribuat omnibus qui merentur iustificari . et in il-
lorum cordibus habitat . qui in te aduersa pacientiam seruant . Similiter dicitur deus
solatii . quia ipse solatium prestat in se confidentibus . atque in illis habitare
dignatur . qui aliis consolationem impendere debent . Vel qui in aliorum pacientia
consolationem accipiunt . in aduersitatibus constituti . Deus inquit pacientie
et solatii . det uobis idipsum sapere in alterutrum . ut unum sapiamus de fide .
spe . caritate . et quod unus credit . hoc sperat alium credere . et quod in se est
boni hoc in alium . Vel idipsum det uobis sapere . ut sicut sibi ita unusquisque pri-
mo uelit . id est quod sibi uult euenire . hoc oportet proximo . et sicut diligit
illum . ita credat diligi ab illo . Et bene addidit secundum ihesum christum . id est
secundum quod uoluntas est ihesu christi . quia multi sentiunt unum . et uidentur
se diligere . sed non secundum ihesum christum . Ubi gratia . Sicut sunt heretici . qui hoc sen-
tiunt in se erroris et quod in aliis hereticis . qui inuicem se non deberent
imitari . ut unanimes id est uno intellectu atque consensu . et una fide .
uno ore . id est una confessione . honorificetis deum . et patrem domini nostri ihesu
christi . Deum et patrem . Deus enim patris est domini nostri ihesu christi secundum humani-
tatem . Pater enim tam secundum diuinitatem qua genuit illum ante omnia
secula . quam secundum humanitatem . Quem tunc glorificamus siue laudamus .
cum eius fide sincerissimam tenentes in corde . omnique intellectu
confitemur eum ore uerum deum esse . et fidem quam ~~eternam~~ habemus bonis
operibus exornamus . iuxta quod ipsa ueritas admonet dicens . Uideant
opera uestra bona . et glorificent patrem uestrum qui in celis est . Propter quod sub-

Deus autem est solummodo hominis assumpta . aut ubo hoc est secundum humanitatem .
unde ipse dicit marie post resurrectionis gloriam . Vade ad fratres meos
et dic eis . Ascendo ad patrem et patrem uestrum deum meum et deum uestrum .

debemus ex hoc magnam consolationem recipere

romanis

in principio modo iacob

et illorum cordibus habitet deus

sic dicitur deus pacientie quia ipse tribuit pacientiam

sentiatis

qui a creauit illum in fine temporum in utero uirginali .